



K. 250<sup>a</sup>  
106<sub>12</sub>

TRANSITVM  
VENERIS PER SOLEM  
RARISSIMVM COELI SPECTACVLVM  
SEMEL HACTENVS AB O. C. VISVM  
QVOD

*Anno proximo MDCCXL. d. VI. Iunii horis maturinis  
DENVO SVI COPIAM FACIET.*

ASTROPHILORVM INDVSTRIAЕ  
COMMENDAT

SIMVLQVE

AD ORATIONEM AVSPICALEM

DE

*IIS, QVAE CIRCA NATVRAM COELI  
CORPORVMQVE COLESTIVM ADHVC CONTKO-  
VERSA ET INTIMIVS PERSCRV-  
TANDA SVNT*

*DIE XVIII APRILIS HORA XI. AVDIENDAM  
QVA PAR EST OBSERVANTIA*

INVITAT

IO. ERNESTVS BASIL. WIDEBVRG.



IENAE  
LITTERIS MARGGRAFIANIS.

МУТИЛЯТ  
ВЕНЕРА ПЕРСИ



uo magis insolitum est, et rarius ali-  
quod phaenomenon syderale in amplis-  
simo coeli theatro in scenam procedit:  
quo maiorem insuper accurata eius-  
dem obseruatio in confirmanda et perficienda coelesti  
doctrina vtilitatem habet; eo maiorem quoque atten-  
tionem meretur, quando sui copiam tandem aliquan-  
do nobis facit. Est enim in vniuersum assidua coeli  
contemplatio in se valde iucunda et vtilis, siquidem  
omnes homines natura scire, imo et praescire etiam  
futura contingentia desiderant: neque hoc desiderium  
vlla humanarum rerum scientia tutius explere potest,  
quam quae in rimandis coeli penetralibus versatur, et  
in admirationem omnipotentiae et sapientiae supremi  
rerum conditoris nos rapit, quam vtramque mirifica  
et perfectissima coeli terraeque machina luculentissi-  
me manifestat. Recta insuper via industria apparentia-

rum coelestium peruestigatio nos ad veram syde-  
ralis scientiae cognitionem dicit, quia basin et funda-  
mentum constituit omnis, quam de legibus motuum  
coelestium, variisque, quae inde resultant phaeno-  
menis syderum habemus, notitiae. Rectissime enim iudicat  
acutissimus IO. HEVELIUS Senator dantiscanus  
solertissimus coeli scrutator \*), non prolixis speculatio-  
nibus, aut speciosis ratiocinationibus sed obseruationibus  
astronomiam esse fundatam, atque excultam suoque tem-  
pore magis mugisque exornandam.

Tametsi vero egregios sedulorum coeli metato-  
rum studio, astralis scientia fecerit progressus, nemo  
tamen sibi persuadeat, istam a praedecessoribus nostris  
ad summum perfectionis apicem iam esse redactam,  
vt astra rimari coelumque intueri haud amplius sit  
opus. Neutiquam profecto! natura semper aliquid  
futuris reseruat seculis; satisque habebit omni tem-  
pore quilibet seduius scrutator, quod quaerat, et in quibus  
mentem ingeniumque exerceat suum. Insi-  
stendum itaque est veterum astrophilorum vestigiis et  
eo omni studio allaborandum, vt studia coelestia in  
dies maiora capiant incrementa. Imprimis vero du-  
plicanda est haec nostra industria, quando eiusmodi  
phaenomena in conspectum procedunt, quae vete-  
rum

\*) in mercurio sub sole viso.

rum visui se subtraxerunt, et vix uno alteroue seculo elapso denuo comparent.

Ex horum numero citra controuersiam est transitus *venetiis* per discum solarem. Hoc enim spectaculum inter astronomica longe nobilissimum et rarissimum, quod satente sagacissimo EDMUNDO HALLE-  
IO \*) instar ludorum secularium per integra secula, mortalibus inuident arcta motuum leges, et vnica solum vice adhuc intuentium animos, p[re]a voluptate quasi extra se rapuit. A nemine enim gentium, quotquot etiam a mundo condito extiterunt fiderum vigilis, animaduersum, donec tandem anno, superioris seculi trigesimo nono circa finem, mensis Nouembris, st. v.

Contigit haec felicitas IEREMIAE HOROXIO natione *Anglo*, tum iuueni adhuc, sed non minus ingeniioso quam erudito, HOOIAE in villa quadam obscura quindecim circiter milliaribus a *Liuerpolia* versus ortum distante, atque in *Palarinatu Lancastriae* sita, cuius latitudo  $23^{\circ} 30'$ . longitudo  $14^{\circ}. 5'$  ab Vraniburgo versus occidentem, nec non 10. KRBTRIO haud minus industrio mathematum cultori, prope *Manches-  
triam* sive *Manutium*, quod oppidum 24. circiter mil- liaribus ad *Liuerpolia* ad ortum remotum \*\*).

A 3

Haud

\*) in *transactionibus Angl.* anno 1691. n. 193.

\*\*) Conferatur *HOROXII venus sub sole visto*, quam *HEVELIUS Mercurio suo sub sole visto* subiunxit.

Haud satis igitur mirari possum, virum doctissimum FRANCISCVM LEVERAM\*) profiteri, nec *venerem* nec *mercurium* posse eclipsare nec maculare solem in aliquali ipsius particula, quia quidquid per telescopia senserint hac aetate recentiores, pro meris fallaciis, cum cel. ELIA DE LEONIBVS *Mariae Cunitiae tabularum propitiarum conditricis marito*, et haluciniis habet, \*\*). Ipsa etiamen motuum leges aeternae hujusmodi apparietiarum varietatem confirmant atque expostulant.

Ex indubitata quippe obseruationum fide atque verioris astronomiae principiis compertum est *venerem* inter solem et terram moueri in orbita ad eclipticam, sub qua terra revoluitur, haud parallela, sed ad eandem inclinata ad angulos ex sole visos  $3^{\circ} 13'$ . sub quibus istam in duobus punctis, quae nodos vocamus, secat. Alter horum nodorum versus boream situs, ascendens, alter in austrum declinans descendens dicitur. Tametsi ergo saepius spendidissimum hoc sydus congressum cum sole celebret, neutquam tamen in singulis sub sole comparet; quod tum solummodo accidit, quando *venus* in perigaeo versatur, et sol eiusdem nodo adeo vicinus est, ut planetae soli juncti latitudo ex terra visa, quae nonnunquam ad octo vel nouem gradus ex crescit, apparentem.

\*) In *Prodromo suo Astronomiae restitutae*, L. I. Cap. 3.

\*\*) Conferatur HEVELII *Machina coelestis*, T. I., L. I., p. 379.

tem solis semidiametrum non excedat. Sed hoc rariissime tantum accidit, quia semidiameter disci solis 16'. 21" nunquam superat, atque tempora periodica veneris cum temporibus periodicis *terrae* collata minus commensurabilia sunt, et hinc etiam perquam raro coincidentia. Iuxta calculum enim et demonstrationem acutissimi HALLEII \*) ut et celeberrimi WHISTONII \*\*) prope eundem nodum ab uno ad alterum transitum raro numerantur octo solum anni; ordinarie autem 235 vel 243. Series itaque momentorum, quibus *Venus* soli coniuncta intra discum huius conspici potuit, poteritque, ad integrum millenarium, vna cum distantiis eiusdem a *solis* centro sequentes exhibent tabulae.

## AD NODVM ASCENDENTEM.

Tempus Conjunct.	Mense Nov. St. v.	Dist. ♀ris a Centro ♂lis.
Ao. 918.	d. 10 h. 21. 5'	6' 12' bor.
1161.	20 21 10'	6' 55 $\frac{1}{2}$ " austr.
1396.	23 7 20	4' 38" bor.
1631.	26 17 29	16' 11" bor.
1639.	24 6 37	8' 30" austr.
1874.	26 16 46	3' 3" bor.
2109.	29 2 56	14' 36" bor.

## AD

\*) Vid. doctissima eius Dissertation: *de visibili inferiorum Planetarum cum sole coniunctione eiusque calculo*, quae dissertationi in transactionibus Anglicanis anno 1691. n. 293. inserta est.

\*\*) In *praelectionibus astronomicis habitis in scholis publicis Cantabrigiae*, pag. 264. seqq.

## AD NODVM DESCENDENTEM.

Tempus Conjunct.	Mense Mayo	St. v.	Dist. ♀ris a Centro ☉is.
Ao. 1048.	d. 24. h. 13 45'	3' 30"	boreal.
1283.	23 h. 8 14'	5 21	austral.
1291.	25 h. 15 9	14 27	boreal.
1518.	25 h. 16 32	14 52	austral.
1526.	23 h. 9 37	5 6	boreal.
1761.	25 h. 17 55	4 15	austral.
1769.	23 h. 11 0	15 43	boreal.
1996	28 h. 20 13	13 36	austral.
2004.	25 h. 19 18	6 22	boreal.

Nemo inquam ergo miretur illustre hoc spectaculum semel adhuc solum in coelo esse visum; quotquot enim transitus veneris per solem ante superius seculum, sub cuius initium tubus belgicus inuentus, vna cum Helioscopiis coeloque admotus contigerunt, omnis vraniae cultorum visui fese subduxerunt, cum neque nudo oculo phaenomenon hoc obseruari queat, neque imago solis per nudum foramen in cameram obscuram immissa, in ingenti, quae opus foret tabulae obseruatoriae distantia, vel a speculo excepto tantam habeat claritatem; ut *Venus* ante *Solem* posita instar maculae nigricantis in lucis pelago videri potuisset. Primus itaque, de quo calculus, post inuenta telescopia spem fecerat; transitus, juxta superiorem tabulam primam prope nodum ascendentem contingere debuisset, anno seculi praeterlapsi trigesimo primo, d. 26. nov. St. v. et ad huius etiam egre-

egregii spectaculi jucunditatem industrios syderalis scientiae scrutatores jam anno 1629. admonuit soler-  
tissimus KEPLERVS\*). Inuiligauit etiam huic obseruationi Doctissimus GASSENDVS per dies tres in-  
tegros, a sexto nempe ad octauum decembris St.  
v. nec dubium est, quin alii coelestium rerum curio-  
si ad eandem fuerint attenti; sed spes fecellit, à ne-  
mine enim tum temporis *Venerem* sub sole esse vi-  
sam, comperimus; forsitan, quod latitudo huius pla-  
netae maior extiterit, quam semidiameter *solis* ap-  
parens, quod et calculus ex emendationibus tabulis  
institutus confirmat.

Quae cum ita sint, haud (prior) obseruand  
hunc transitum *Veneris* per *solis* discum juxta supe-

B riores

\* ) in admonitione ad Astronomos rerumque coelestium studiosos, de  
varii mirisque anni 1631. Phaenomenis *Veneris* et *Mercurii*  
in Solem incursu, quam gener ipsius XACOBVS BARTSCHIVS  
editit. Sunt autem verba KEPLERI, ideoque adhortor omnes  
et singulos, qui oceanum nauigabunt, dolitosque viros in America,  
qui Mexicanam et Vicinas provincias inhabitant, sed Europaeos  
quoque Professores mathematicos in Academis constitutos, magna-  
tes etiam, quibus otium, ad haec spectaculorum coelestium ob-  
iectamenta suppetit; denique omnes, quibus coelestia curae sunt,  
ut vel ab hoc iam tempore tubum sibi quisque comparent, qui  
maculas *solis* detegere sit aptus, eius translationi manuariae af-  
ficiant, notamque habeant distinctionis eius vitrorum proximita-  
tem, quae maculas rectissime in conspectum offerat etc.

riores tabulas data fuit occasio, quam anno *trigesimo nono praecedentis seculi*, cuius die *vigesimo quarto mensis nouembris*, St. v. modo laudatus **IEREMIAS HOROXIVS** hanc obseruationem, maximo rerum coelestium bono, de quo maximopere nobis gratulamur, feliciter peregit. Evidet haud ultra semihoram jucundissimo hoc spectaculo frui ipsi licuit, cum *sol* breui solum temporis spatio, post ingressum *venoris* in ipsis discum supra horizontem manserit visibilis, ideoque tribus solum vicibus ante occubitus coeli lampadis situm istius planetae, magnitudinemque et distantiam a centro *solis* obseruare potuit. Docuit tamen elegans haec obseruatio, parum ex usitatis veterum orbium coelestium perscrutatorum tabulis, quibus motuum rationes innituntur, desumi posse, quod responderet iis, quae in coelo subinde deprehenduntur. Erant enim **HOROXII** aetate praestantiores tabulae *Prutenicae*, ab **ERASMO REINHOLDO** ad Hypotheses **NICOLAI Copernici celeberrimi Astronomiae Reformatoris**, in sex revolutionum libris exppositas constructae: *Philolaicae* ab **ISMAELE BVLIALDO** ad meridianum *Vraniburgicum* directae, *Lansbergicae*, quas autor ex omnium temporum obseruationibus constructas, iisdemque consentientes, glorioso satis titulo, animose defendit, et meridiano *Gaesano* accommodauit; *Danicae* a **SEVERINO LONGOMONTANO**,

TYCHO-

TYCHONIS BRAHEI discipulo concinnatae; et Hafnien-  
si meridiano congruae. Nec non Rudolphinae, a 10.  
KEPLERO, acutissimo astrologo, ex obseruationibus  
Tychonicis potissimum, meridiano Vraniburgico ad-  
aptatae. Ex his omnibus indefessus HOROXIVS sin-  
gula momenta memorati transitus summa industria  
supputauit, eademque ab iis, quae per obserua-  
tionem inuenit, nimium quantum recedere animaduer-  
tit. Longitudinem enim veneris obseruatio dedit tem-  
pore transitus  $12^{\circ} 29' 25''$ .  $\dagger$  Hanc vero dabat cal-  
culus institutus ex tabulis

Prutenicis | Philolaicis | Lansbergianis | Danicis | Rudolphinis  
 $14^{\circ} 0. 27''$  |  $12^{\circ} 19'. 14''$  |  $11^{\circ} 17'. 7''$  |  $10^{\circ} 17'. 7''$  |  $11^{\circ} 40'. 52''$   $\ddagger$

recedit ergo longitudo prima ab obseruata  $10^{\circ} 31'. 2''$   
in excessu, secunda,  $10^{\circ}, 11''$  in defectu: tertia  $1^{\circ}$   
 $11'. 18''$  in defectu. Quarta  $2^{\circ} 11'. 18''$  in defectu;  
et quinta  $30'. 33''$  in defectu. Hinc momentum  
quoque coniunctionis ex his tabulis erutum necessa-  
rio a vero per obseruationem inuenito die nempe  
24to. Nov. hora post meridiem quinta 55<sup>4</sup> diuersum  
esse debuit, incidisset enim juxta tabulas

Prutenicas	d. 26. h. 7. 57'. 4''.	vesp. Eg. 2 dier. 2 hor. 2'. 4''.	tardius.
Philolaicas	- 24. - 1. 0. 4. p.m.	Eg. - - 4 hor. 54'. 16''.	matur.
Lansbergicas	- 24. - 0. 21. 4. mane	Eg. - - 17 hor. 35'. 56''.	matur.
Danicas	- 23. - 9. 14. 20. vesp.	Eg. - - 20 hor. 40'. 40''.	matur.
Rudolphinas	- 24. - 8. 15. 19. mane.	Eg. - - 9 hor. 39'. 19''.	matur.

Similiter latitudinem ad momentum copulae cum sole

B 2

HORO-

HOROXIVS per obseruationem reperit  $8^{\circ} 31''$  australem  
eadem tamen suisset iuxta tabulas:

*Prutenicas, Philolaicas, Lansbergianas, Danicas Rudolphinas.*  
 $21^{\circ} 30''$  austr.  $19^{\circ} 16''$  austr.  $10^{\circ}. 45''$  bor.  $7^{\circ} 40''$  austr.  $7^{\circ} 45''$  austr.

ideoque excedit veram inuentam *Prutenica*  $12^{\circ} 59''$ .  
*Philolaica*  $8^{\circ} 9''$ . *Lansbergiana*  $19^{\circ}. 16''$ . *Danica*  $5^{\circ} 1''$ .  
*Rudolphina*  $46''$ . Hinc etiam inclinatio orbitae *veneris* ad Eclipticam per obseruationem reperta differt ab hypothetica diuersorum astronomorum; siquidem  
**REFLERVS** v. g. eandem assumit  $3^{\circ}. 22''$ . HOROXIVS vero eandem inuenit  $3^{\circ}. 24''$ . Nec minorem animaduertimus earundem tabularum disconuenientiam in determinandis nodorum locis, quorum alterum minimorum ascendentem HOROXIVS in transitu, alio obseruato, inuenit in signo **A** eiusdemque gradu  $13^{\circ} 22'$   $45''$  tabulae vero *Philolaicae* eundem referunt ad  $14^{\circ}$   $27'. 12''$ . *Lansbergianae* ad  $11^{\circ} 56' 4''$ . *Rudolphinae* ad  $13^{\circ} 21' 13''$ . Ideoque *Philolaicae* deuiarunt a coelo in excessu  $1^{\circ} 14'. 27''$ . *Lansbergianae*  $1^{\circ}. 26' 41''$  in defectu. *Danicae*  $1^{\circ}. 9'. 21''$ . in excessu. *Rudolphinae*  $1^{\circ} 32''$  in defectu. Accedit, quod nec in eo conspirent astronomorum veterum hypotheses, utrum nodi *veneris* immobiles quiescant, an successu temporis, et qua celeritate promoueantur, vel retrocedant? Denique et circa diametrum apparentem *veneris* ingentem notamus diffensum, HOROXIVS eandem

dem haud maiorem deprehendit 1' 16''. Sed ex TYCHONIS BRAHEI hypothesibus esse debuissest 12' 18'' quae quantitas priorem paulo minus quam decies superaret. LANSBERGIVS eandem ponit 14' 21'', ergo et haec veritatem excedit nouies, et ex tabulis RUDOPHINIS est computata 6' 21'' quae itidem obseruata quinques et amplius maior est. Putauit equidem vir doctissimus W. SCHIKARDVS in Academia TUBINGENSI Hebraicae linguae et Astronomiae Professor celeberrimus, justo minores apparere planetarum minorum diametros, quando per solem transeunt ob deceptionem opticam, cum extra solem obseruatae maiores inueniantur. Sed rationes, quibus hanc sententiam ipse confirmare ausus est, vir acutissimus saepius laudatus, solide resutauit I. C. et caussam, cur tantopere decepti sint coeli metatores, in decernendis Planetarum diametris, reiicit in eorundem incuriam, quod radiorum aduentitorum rationem non habuerint, certissime persuasus diametrum *veneris* in sole visam legitimae quantitatis apparuisse, nec vnum scrupulum a vera defecisse. Ex his omnibus autem manifestum satis est, quam infirmis, quam lubricis, quamque incertis fundamentis, pleraque prisci temporis de syderum motibus notitia innisa fuerit? et, quam varie et enormiter tum inter se, tum a coeli tenore tabulae astronomorum praecedentis aeui aberrauerint. Mirum hoc nemini videri debet, cum in

determinandis exakte motibus *veneris* plures obiiciantur difficultates, quam circa reliquos planetas minores singulos occurunt. Superiorum enim stellarum erraticarum loca exactius habemus cognita et definiiri possunt ex loco *solis*, quando in huius oppositione versantur: inferiores autem, cum sint mundi oculo viciniores quam terra, nunquam opponuntur soli, et coniunctiones eorum tam inferiores, quam superiores, ob splendorem solis obseruari nequeunt; nisi forte in interioribus per discum solarem transeant, cuiusmodi transitus *mercurii* cum sit soli vicinior, periodum citius absoluat, et minorem latitudinem habeat saepius quidem hoc et elapo seculo sui copiam nobis fecit, in venere autem semel haec tenus visibilis fuit. Hinc veteres Astronomi periodos *veneris* adminiculo digressionum maximarum a sole, et coniunctionum cum stellis fixis inuestigarunt; quod artificium maxima indiget circumspetione, quia parvus error in digressione maxima commissus, magnum parit in constituendo loco planetae heliocentrico. Ut pluribus monet, et euidenter demonstrat *Celeberrimus CASSINI* \*).

Quare haec praxis pluribus obseruationibus consentientibus perfici et confirmari debet. Neque minor difficultas oritur, circa locum et motum aphelii *Veneris* exakte definiendum, nec non circa eccentricitatem,

\* ) In *Elementis Astronomiae gallice conscriptis anno 1740.*

ratem, et ex hac *aequationem maximam determinan-*  
*dam, quae singula Phaenomena accuratas digressio-*  
*nuni maximarum huius Planetae a sole requirunt ob-*  
*seruationes.* Quemadmodum et *latitudinis*, ac inde  
*eruendae inclinationis orbitae Veneris ad Eclipticam*,  
*nec minus nodorum situs ac motus obseruatio maxi-*  
*ma circumspectione opus habet, si tabulae perfectae*,  
*quibus tuto fidere liceat, concinnari debent.* Quan-  
*doquidem vero lumen *Veneris*, praecipue perigaeae,*  
*adeo splendidum, vt in ipsa meridie oculis etiam nu-*  
*dis nonnunquam obseruari possit, quod teste LIBER-*  
*TO FROMANDO \*) contigit mense Augusto MDXXV,*  
*quando vno et non amplius signo solem antecedebat,*  
*multisque diebus in solari purissimo meridie obstupe-*  
*centibus astrorum motuum ignaris spectaculi insoliti*  
*admiratione conspecta fuit.* TYCHO iam loca diurna  
*istius accuratius determinare allaborauit, et ea de re*  
*ad GVIELMVM Landgrauium Hassiae anno MDLXXVII*  
*die xix Ian. \*\*), sequenti modo refert: Hac, in-*  
*quit, ab anteceſſoribus ſtrata via, cum fatis tuto incedere,*  
*ob praedictas aliasque rationes non licet; commodiori et*  
*tutiori ſemita, quae ad stellarum exactias longitudines*  
*perduceret ingrediendum censui nullamque exactiorem et*  
*aptiorem inueni, quam, quae ex opportunitate nobis anno*  
*1582 quo *veneris* ſtellam vespertinam interdiu dilucide ap-*

\*) *Meteorolog.* L. II. C. III.

paren-

\*\*) *Epifol. Afron.* L. I. p. 41.

parentem conspeximus, offerrebatur. Tunc enim Venerem a sole inexitu distantia a die XVII Februari. usque ad medium Aprilis, pluribus, quam facile credi potest, viribus, diurno tempore diligentissime obseruauimus; idque non solum in decliniori solis situ, sed multoties, cum is in meridiano, vel saltim unica, aut sesquialtera hora, ultra hunc remoueretur, et Venus admodum sublimis una existet, adeo, ut ipsius per meridianum transitus, sole adhuc multum eleuato a nobis, tum, quoad altitudinem, quam distantiam a sole saepe deprehensus sit, quare, cum solis locus ex altitudinibus meridianis, certo esset notus, ex declinatione Veneris et solis data locus stellae Veneris certe patuit.

Similes adhuc obseruationes plurimae deinceps etiam ab aliis pro determinando vero Veneris motu feliciter institutae teste RICCIOLI<sup>\*)</sup>: et Hist. Acad. Scient. Parisi.<sup>\*\*)</sup>  Postquam vero hoc et elapso seculo laudabili astrophilorum studio specula astronomica, itadaptata et perfecta sunt, ut in ipsis omnes etiam minores stellae de die, imo in ipso meridie exacte videri et obseruari possint, et organa insuper, quibus arcus, et anguli in coelo mensurantur, perfectius elaborata, minutiarumque diuisionibus rite instructa essent, nec minus ex CHRISTIANI HUGENII inuentione horologis,

<sup>\*)</sup> In Almag. nouo L. VIII. sect. V. C. v. Schol. I.

<sup>\*\*)</sup>  de anno 4715.

giis, quibus temporum minuta etiam secunda dimetimur, pendulis instructa sunt, eaque ratione eorundem motus eum in modum in ordinem redactus, ut intra octiduum a motu solis medio ne minuto quidem secundo aberret. Ab hoc, inquam, tempore et longitudo *veneris*, et latitudo, multo exactius per obseruationes plurimas definita est: quibus suffulti haud pauci recentiorum Astronomorum, indefesso studio nouas concinnarunt tabulas motuum coelestium, veteribus multum correctiores et magis emendatas. Ex harum numero sunt *Carolinae*, a THOMA STREETEN, Anglo, iuxta fundamenta artis, rationi maxime consentanea compositae. Item *Rudolphinae*, ad accuratum et facile compendium redactae a IO. BAPTISTA MORINO Medicinae Doctore regio et Mathematum Professore parisino, quas celeberrimus IO. GABRIEL DOPPELMAYERVS Mathematum quondam Professor Noricus vnam modo laudata *Astronomia Carolina* in latinam linguam traslatas edidit Noribergae anno 1705. Porro etiam *Ludouicianae* a PHILIPPO de la HIRE Mathematum Lectore et Professore in Regio Galliarum Collegio et regiae scientiarum Academiae socio concinnatae, non cuicunque hypothesis innixae sicut *Rudolphinae*, sed obseruationibus solis superstructae, nulla cuiusvis systematis habita ratione, quas ex editione parisina de anno 1687 in vernaculam transtulit IO. ALBERTVS KLIM. Norib. 1725. Insignem quoque laudem merentur tabulae illustres

Iustis CASSINI Iunioris, quae ipsius elementis Astronomiae anno 1740 Parisis evulgatis subiunctae sunt; nec non celeberrimi EDMUNDI HALLEII, quarum pars Imma prodit anno 1719, et recusa prostat Lutetiae 1754; vtrum vero et reliquae, quas correctissimas edere volebat vir sagacissimus, in iisdemque expediendis anno adhuc 26to huius seculi desudauit \*) publicam lucem adspexerint? mihi haud satis constat. Neue reticendae sunt tabulae WHISTONI, quas praelectionibus Astronomicis adiecit, et ex Flamsteedianis, Halleianis, Cassiniensis et Streetenianis correctioribus collectae sunt.

Quamuis autem his aliisque cunctis, non dengandum sit encomium, quod antiquoribus sint longe emendatores, neutquam tamen pro consummatis, et vndiquaque perfectis haberi debent, vt posteritati nihil in hoc negotio vterius promouendo relictum sit. Sunt enim quam plurima, quae correctione adhuc indigent, et vteriorem detectionem exspectant. Patet id satis evidenter ex eo, quod et longitudo et latitudo splendidissimi nostri planetae, itidem tempus ex tabulis diuersis ad eundem meridianum reductis collatum, haud parum discrepans reperitur. Ponamus e.g. longitudinem medium Veneris quaeri ad meridiem primi Ianuarii anno 1761; erit ea sub meridiano Vraniburgico iuxta tabulas:

MORI-

\*) Conf. Celeb. WEIDLERI Historia Astronomiae Cap. XV. §.  
138.

MORINI STREETENI PHIL. de la HIRE CASSINI  
 $0^{\circ} 5.7^{\circ} 23' 35''$ .  $11^{\circ} 21' 36' 7''$        $0^{\circ} 3^{\circ} 36' 14''$ .       $0^{\circ} 3^{\circ} 12' 14''$ .

nec aliter comparatum est; cum longitudine vera et eccentrica, h. e. per aequationem correcta. Dependet enim haec aequatio ab eccentricitate et anomalia, haec vero a situ aphelii. Sed neque in hac, neque in ista plene consentiunt laudati Astronomi \*), KEPLERVS eccentricitati tribuit 691 eiusmodi partes, quas media a sole distantia, sive semidiameter orbitae 100000 habet. Streeten 587, Whiston 517. similiter Aphelium &ris fixum ponunt bini posterius nominati in distantia a prima stella arietis  $9^{\circ}, 5^{\circ}, 0', 0''$ , sed collatis observationibus veteribus ac nouis, motus eius in consequentia innotuit, annuatim videlicet iuxta MORINVM  $1^{\circ} 18''$  CASSINI vero, et PHIL de la HIRE ponunt  $1^{\circ} 28''$ . Ex his itaque diuersis principiis et hypothesisibus, necessario diuersae etiam aequationes centri eruuntur. Hanc enim maximam ponit MORINVS  $47' 36''$ . CASE SINI  $49.16''$ . PHIL DE LA HIRE  $50'. 0''$ . Latitudo planetarum minorum determinatur ex inclinacione, quam habent eorundem orbitae ad eclipticam, et distantia ipsius planetae tum a suo nodo, tum quoque a sole et terra. Sed singula haec momenta rursus in diuersis tabulis diuersimode indicantur. Nodos &ris immobiles ponunt rursus STREETIVS et WHISTON, item HALLEIVS, in iisdem nimirum locis ubi

C 2

inuenti

\*) In Epitome Astronomiae p. 765.

inuenti sunt anno 1639. ab HOROXIO; ascendens quippe in distantia a prima stella arietis  $15^{\circ} 15' 0''$ . et descendens in puncto opposito. MORINVS iisdem nodis tribuit motum annum  $47''$ . PHIL. DE LA HIRE  $46''$ . CASSINI  $34''$  in consequentia. Inclinationem pariter maximam STREETIVS et WHISTON assumunt  $3^{\circ} 24'$ . PHIL. DE LA HIRE  $3^{\circ} 23' 5''$ . CASSINI  $3^{\circ} 23' 20''$ . Distantiam denique medium  $\vartheta$ ris a sole ponit STREETE  $72333$ , CASSINI  $72344$ , eiusdemque Logarithmum MORINVS  $385986$ . PH. DE LA HIRE  $385925$ . Ne quid dicam de Parallaxi solis et *veneris*, per quam longitudo et latitudo vera in visam commutanda, quarum vtraque rursus varia ponitur a variis. Solis parallaxin, ex parallaxi Martis CASSINI \*) reperit  $1''$  STREETE in *Astronomia Carolina* \*\*) ex obseruationibus HOROXII elicuit  $15''$ . PTOLEMAEVUS eandem aestimauerat  $2' 8''$ , TYCHO  $3' 0''$ . KEPLERVS  $1'. 0''$ . HEVELIUS  $40''$ . RICCIOLVS  $28''$ . HALLEIVS  $12\frac{1}{2}''$ . DE LA HIRE  $6''$ . Huic vera parallaxis Veneris in media a terra distantia aequalis est, quia et haec a media solis a terra distantia haud differt; sed in coniunctione inferiori, quando *venus* est perigaea, eiusdem parallaxis quadruplo fere maior est solari. Hisce igitur tabularum theoricarum *veneris* imperfectionibus medela aliunde haud ferri potest

\*) In elementis *Astronomiae* p. 23.

\*\*) p. 5.

test, quam ex vigili transitus splendidissimi huius deris per orbem solarem obseruatione. In tali enim situ *veneris* parallaxis orbitae terrestris penitus euane scit. Ideoque vera huius planetae longitudine in momento coniunctionis eadem est cum longitudine solis, et distantia a centro solis dat latitudinem visam; ex qua et vera inclinatio orbitae ad eclipticam et locus nodi exactius colligitur. Ex his vero omnibus legitime cognitis emendatio tabularum rectius suscipi poterit. Quodsi ergo haberemus antiquissimas certas congressa horum obseruationes, atque easdem cum recentioribus comparare possemus, ex voto motus inde *veneris* quam certissime determinaretur.

Dolendum vero est maximopere huiusmodi corporales copulas *Veneris* cum *sole* rarissime in coelo contingere. Ad nodum enim descendantem semel adhuc ab orbe condito, quemadmodum ex superioribus constat, *Venus*, anno nimirum 1639 ab *HOROXIO* in *sole* visa fuit, neque talis transitus ante annum 1874 iterabitur: prope nodum autem descendantem nunquam hactenus eiusmodi coitus cum *Sole* iui copiam fecit, sed prima vice, elegans hoc phaenomenon ibidem in scenam prodibit, anno per Dei gratiam appro perante sexagesimo primo huius seculi, et dubium adhuc est, vtrum ante annum 1996 se rursus conspicendiendum sit exhibitum. Spondet equidem calculus *HALLEIANVS* in tabulis superius allatis exhibitus ite-

statum huiusmodi congressum ♀ris cum sole, iam anno  
 1769 die 23 Maii p. m. XI. Sed latitudo *veneris* borea-  
 lis eo tempore semidiametro solari proxime aequalis  
 erit, vt ista marginem solis borealem vix stringere  
 queat; et si vel maxime ob parallaxin superiorem disci  
 partem subintret, in vniuersa tamen Europa ingressus  
 saltem conspici poterit, cum coeli lampas mox deinde  
 horizonti nostro inmersa fuerit. Quare borealibus  
*Norwegiae* partibus, in quibus Sol tum temporis erit in-  
 occidiuus, illustre hoc phoenomenon ab initio ad fi-  
 nem spectandum relinquere debemus. Hinc eo maio-  
 ri studio inuigilandum erit copulae priori *anno* nimi-  
 rum *proximo* 1761. quamquam etiam in hac sub ingre-  
 sum *Veneris* in Solis discum mundi oculus adhuc sub  
 nostro horizonte latebit. Contingit enim initium hu-  
 ius transitus siue immersio ♀ris in solis orbem iuxta HAL-  
 LEII\*) calculum die sexto mensis Iunii st. n. mane pau-  
 lo post horam secundam, et in medio solis erit hora 5ta  
 55', exitus vero obseruabitur hora decima matutina,  
 vt sit duratio integra octo fere horarum, et *Venus* in me-  
 dio transitu 4 minutis centro solis australior videnda.  
 Cum autem sol eo tempore occupaturus sit gradum 16  
 tum geminorum, viginti tres ferme gradus in boream de-  
 clinans per totam quasi zonam frigidam septentrionalem  
 inoccidiuus conspicietur, aut propterea, qui littus Nor-  
 wegiae incolunt, ultra urbem *Nidroseam* usque ad pro-

mon-

\*) In *Transact. Anglic.* de anno 1716. n. 348.

montorium eius boreale *Venerem* solis discum ingredientem obseruare poterunt. Quo porro tempore *Venus* solis centro proxima venit, Sol verticalis erit super litora borealia *Sinus Gangetici*; vel potius regni *Peruuiani*. In regionibus autem circumuicinis, quia sol in ingressu *Veneris*, quatuor fere horis distabit ad occasum, et in egressu totidem fere ad ortum, accelerabitur motus *Veneris* apparetis intra solem duplo fere parallaxeos suae horizontalis a sole, quia tum motu retrogrado fertur, interea dum oculus ad superficiem terrae positus in contrarias partes ab occasu in ortum gyratur. Eadem vero coniunctionis momenta celeberrimus **CASSINI** ex suis tabulis quaesita exhibet \*) sequentia: *Appulsus* *Q.ris* ad marginem solis fiet Lutetiae die *Vito Iunii* hora *Ima*  $28' 32''$  post mediam noctem, ingressus continget hora *Ima*  $46' 2''$ , immersio totalis hora *Ilida*  $3' 8''$ , medium transitus hora *Vta*  $7' 15''$ , exitus incipiet hora *VIII.*  $3' 22''$  emersio totalis hora *VIII.*  $37', 58''$ . ideoque integra duratio erit  $7. b. 9'. 26''$ . distabitque *Venus* a centro solis in medio transitu versus meridiem  $8' 15''$ .

Quandoquidem ergo noster meridianus a Parisi-  
no distat 11. circiter gradibus versus ortum, ingressus  
*veneris* in orbem solis iuxta hunc calculum hic *Ienae*  
continget hora II.  $30', 1''$ . medium solis affequetur  
hora V.  $47' 15''$  et emersio ex eodem disco fiet hora  
*VIII.*  $4' 29''$  ante meridiem. *Sol* autem eodem die  
nobis

\*) In *Comment. Academ. Reg.* de anno 1737. p. m. 535.

nobis orietur circa horam IIII: matut. Ideoque interuallo vnius horae et semissis post ingressum *veneris* in Solem.

Caeterum celeberrimus **EVSTACHIVS ZANOTTI** in *Ephemeridibus suis motuum coelestium Bononiensibus* \*) scribit: se ex his ipsis tabulis *Cassianis* hanc notabilem coniunctionem subduxisse, ex iisdemque ingressum centri *veneris* in orbem *solis* sub meridiano *Bononiensi*, qui *Parisino*  $9^{\circ} 30'$  orientalior est, ideoque ab hoc  $38'$  in tempore differt, inuenisse hora  $14. 23'$ , medium transitum hora  $17. 41'$ ; coniunctionem veram in longitudinem hora  $18. 1'$  excessum ex disco solis hora  $20. 56'$ . Fatetur tamen, quodsi *Qris* motus ex Ephemeridum numeris eliciantur, coniunctionis tempus citius contingere debere, et latitudinem in coniunctione minorem resultare duobus sere minutis. Habemus itaque hic nouum documentum imperfectionis, qua tabulae etiam emendationes, quales sunt *Halleljanae* et *Cassianae*, quae caelo haec tenus prae caeteris conformes habitae sunt, laborant: quoniam in definiendis praecipuis huius transitus momentis, ad semi-horam et quod excurrit, ab inuicem discedunt. Major autem hic dissensus deprehenditur, quando consulimus tabulas *Rudolphinas*, *Carolinas* et *Ludouicianas*, quae in copula vera, et reliquis inde dependentibus momentis, et inter se, et ab ante nominatis adhuc ma-

gis

\*) ad annum 1761.

gis discrepant. Quae cum ita sint sapienti sane et salutari consilio saepius laudatus *Hallejus loco citato*, curiosos syderum scrutatores, quibus haec obseruatio reseruatur, serio admonuit, ne eximium hoc et summe conducens spectaculum, a quo plurimorum problematum necessariorum, et aliunde inaccessorum solutio, dependeret, praeterlabi sinant: cum dubium valde sit, et incertum, an vel ipsi vel huius aut alterius seculi mortales denuo istud visuri sint? dandaque sit opera ut tandem aliquando formosior *Venus* ex incerto errorum pelago emergat, et honestius quam olim a Vulcano recedat. Manet ergo palma in medio posita, quam qui feliciter captauerit, illi *Helena* quauis pulchriorem despondet *Venus Vraniam*. Faxit modo *Numen coeleste*, ne nubila coeli, importuna obscuritate, jucundum hoc spectaculum subtrahant penetralia coeli rimantibus oculis.

Restat iam, ut ea paucis exsequar, quae scriptioni huic imprimis dederunt ansam. Septennium est, et quod excurrit, ex quo fata ex hac patria me ferrent *Academia*, in celeberrimam, quae *Erlangae floret FRI-DERICIANAM*. Nec satis mirari et depraedicare possum Divini Numinis providentiam, quae in alieno etiam solo *Maecenates* mihi excitauit, et studiorum promotores, quorum gratia et benevolentia suffulso mihi licuit *Mathematicas* et *Eleganiores* disciplinas

D priua-

priuata et publica voce non sine discentium fructu et  
applausu docere. Non desinam *Celsissimam hanc*  
*gratiam SERENISSIMI FRIDERICI*  
*argrauit Culmbacensis et Baruthini etc.* Nutritoris  
et Fundatoris Academiae Erlangensis munificentissim:  
et Summorum Sandioris Senatus et Aulae Ejus proce-  
rum, nec non Celeberrimorum laudati modo Athenaei  
Antistitum incomparabilem gratiam et fauorem, quo  
me ibidem complexi sunt, ad ultimumisque vitae  
meae halitum, qua par est submissione ei obseruantia  
venerari debitisque concelebrare laudum encomiis.  
Interea non sine inperscrutabili vniuersi huius mo-  
deratoris consilio factum est, ut a SERENISSI-  
MIS DVCIBVS SAXONIAE ERNESTINAE  
PROSAPIAE DOMINIS MEIS CLEMEN-  
TISSIMIS in hoc per totum terrarum orbem CE-  
LEBRATISSIMVM reuocarer MVSARVM EMPORIVM,  
in quo primam hansi auram vitalem, sollicite sum  
educatus, et artibus liberalibus innutritus, publico  
nunc in eodem docendi munere gratosissime ornatus.  
Hunc ergo Dei per CELSISSIMOS PRINCIPES  
vocantis nutum fecutus, ante omnia mearum esse  
partium duxi, imo, ipsa me iubet pietas et submissa  
mentis deuotae subiectio, *insignem hanc SERENIS-*  
*SIMORVM DVCVM CLEMENTIAM publicis concele-*  
*brare laudibus.* Fiet quidem istud crastino die  
hora

hora ante meridiem XI<sup>ma</sup> in splendido Auditorio  
Theologico praemissa more maiorum breui Oratione  
auspicali: de iis, quae circa naturam coeli corporum que  
coelestium naturam adhuc contrauersa sunt et detegenda  
restant.

Ad hanc ergo panegyrin MAGNIFICVM ACADEMIAE  
RECTORREM, ILLVSTRISSIMVM S. I. R. COMI-  
TEM, PROCERES ACADEMIAE EXCELLENTISSI-  
MOS, et omnes, qui musis fauent, GENEROSISSIMOS  
imprimis, et FLORENTISSIMOS COMMILITONES,  
vt honorifica sua praeSENTIA istum actum splendidiorem  
reddere velint, qua decet obseruantia, officiosissime in-  
uito et exoro. Quantum meis erit in viribus, om-  
nes intendam neroos, vt singulare hoc beneuo-  
lentiae documentum, quauis data occasione erga  
quemcunque remunerare ac demereri que-  
am. P. P. die April. MDCCLX.





Pd. 3380  
4°




Sb.

G3V



P



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

# TRANSITVM VENERIS PER SOLEM

RARISSIMVM COELI SPECTACVLVM

SEMEL HACTENVS AB O. C. VISVM

QVOD

Anno proximo MDCCCLXI. d. VI. Junii horis matutinis  
DENVO SVI COPIAM FACIET.

ASTROPHILORVM INDVSTRIAEC  
COMMENDAT

SIMVLQVE

## AD ORATIONEM AVSPICALEM

DE

IIS, QVAE CIRCA NATVRAM COELI  
CORPORVMQVE COELESTIVM ADHVC CONTRO-  
VERSA ET INTIMIVS PERSCRV-  
TANDA SVNT

DIE XVIII. APRILIS HORA XI. AVDIENDAM

QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

IO. ERNESTVS BASIL. W1DEBVRG.

JENAE

LITTERIS MARGGRAFIANIS.